



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Periurium promissorium duobus potest committi temporibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

(puta quia sciens & prudens periurat) quia sine dubio semper est mortale peccatum. Aut ut actus imperfectus (puta lapsu linguæ, aut aliàs inaduertenter seu ignoranter) nam periurium materialiter tantum, hoc est non ex animo iurandi falsum, non est peccatum mortale, quia non est periurium: quoniam nullus actus bonus vel malus est talis sine sua forma. Memento tamen hic & semper in similibus illius exceptionis: nisi actus redeat in naturam suæ formæ: quod in proposito contingeret, si quis non intendere iurare falsum, & tamen non curaret adhibere curam ne iuret falsum. Tunc enim talis iurans falsum, incurreret periurium mortale: quia propter talem negligentiam in tantare, rediret actus in naturam suæ formæ: conuincitur enim ille quod maluit incurrere periurium quàm discurrere ut debuit an iuret falsum.

Inchoando igitur à periurio, assertorio (hoc est iuramento mendaciter affirmante vel negante) scito omne homini periurium esse mortale in quacunque materia sit, quibuscunque verbis dicatur, & quacunque coactione, metu, ioco, leuitate, consuetudine, utilitate, aut excusatione fiat: quia Deo fit magna irreuerentia inducendo ipsum in testem quasi mendacem. Nulla admittitur in hoc excusatio nisi (ut dictum est) ex imperfectione actus: puta quia inaduertenter, vel ut primus motus: ex lapsu linguæ: & si quid est aliud redens actum imperfectum.

Periurium promissorium duobus potest committi temporibus.

Promissorium autem periurium duobus incurritur temporibus. Vel præsentem, quando fit: vel futuro quando non adimpletur. Et in præsentem quidem (hoc est quando iuramentum promissorium fit) incurritur.

CUR. LUG.

curritur dupliciter periurium. Primò, ex mendaci animo : vt quum sub iuramento promittitur aliquid bonum vel malum sine animo seruandi , aut sine animo promittendi seu obligandi se : aut sine animo iurandi. Et hoc semper est mortale : quia deest veritas præsens. Idem est enim iudicium de hoc periurio quantum ad præsentem veritatem , & de periurio assertorio. Secundò, ex materia mala: vt quum quis vero animo sub iuramento promittit aliquid malum, puta interficere talem , vel adulterium perficere, &c. Et tunc si iuratur super patrandò peccato mortali incurritur iurando periurium non solum quia firmatur voluntas ad peccatum mortale, sed etiam quia applicatur iuramentum ad materiã quam oportet omnino falsificare: quia est contra charitatẽ. Si verò est malum veniale, incurritur periurium non simpliciter (quia non deficit veritas præsens iuramento: nec de necessitate salutis oportet deficere veritatem futuram, quia non est contra, sed præter charitatem) sed secundum quid: quia firmatur voluntas ad malum, veniale tamen : & irreuerentia quædam fit iuramento applicando illud ad materiam non obligabilem: apponit enim per hoc impedimentum effectui iuramenti, qui est obligare ad faciendum. Vnde graue videtur, & est hoc peccatum, non tamen mortale. Idem est quoque iudicium, si iuramentum promissorium est de omittendo bonũ supererogationis, vt quũ quis iurat se non ingressurum religionẽ, non mutuaturum, non fideiussurũ, & similia. Huiusmodi enim iuramẽta veraci animo facta, peccata sunt quando sunt: quia irreuerentia fit iuramento, vtendo illo ad materiam non obligabilem ad verificandum : & propterea periurium secundum quid incurritur, sicut de iuramento venialium operũ dictum est. Nõ tamẽ est periuriũ absolutè: quia nec deest præsens veritas,

nec oportet deficere veritatem futuram, quæ esset non contra charitatem. Et hæc intellige quando huiusmodi iuramenta fiunt cum animo non faciendi hæc communiter, nam si intenderet quis non facere hæc etiam in casu quo de necessitate salutis accideret ipsum teneri ad illud, iam non iuraret omittere bonum supererogationis, sed bonum necessarium ad salutem, & peccaret mortaliter: utpote iurans peccare mortaliter. Sunt autem communiter & non sic extremè ad casus de necessitate salutis interpretanda huiusmodi iuramenta: quia iurantes super sua libertate se fundant, dicentes: ego non teneor mutare, fideiubere, &c. & ideo nolens incidere in foueam iuravi. Vnde manifestum iudicium est intentionis communis, & non ad casum de necessitate salutis, qui in huiusmodi quàm rarissimus videtur. In futuro verò tempore (hoc est si iuramentum promissorium non adimpletur) incurritur periurium semper quando iuramentum obligatum est: quia deesset veritas iuramento, ac per hoc peccaretur mortaliter. Ex quatuor autem capitibus contingit iuramentum promissorium non adimpleri absque peccato. Primo ex parte materiae. Secundo, ex parte euentus. Tertio ex parte modi. Quarto, ex parte relaxationis.

Primum caput ex parte materiae, intellige quando materia non est capax vinculi obligatorii. Talis autem est triplex. Primo, omnis actus moraliter malus, siue sit peccatum mortale, siue veniale, & ideo quicumque iuravit occidere aut dicere verbum otiosum, non obligatur ad exequendum iuramentum, sed peccat exequendo. Secundo, omnis ommissio boni supererogationis, nam licet non teneatur ad illum bonum, tenetur tamen non ponere obicem spiritui sancto. Et propterea qui iuravit non mutare, aut non fideiubere, aut aliquid huiusmodi, non obligatur ad implendum iuramentum

ramentū: sed liber remanet, & potest mutuare & nō mutuare sicut prius antequā iuraret. Tertio, actio indifferens salua sua indifferentia, vt si quis absque vlla ratione boni vtilis honesti, vel delectabilis iurauit transire extra muros ciuitatis, aut aliquid eiusmodi, non tenetur seruare, si nulla sit ratio sic transcendendi: quia iuramentū non est vinculū ad otiosum aliquid: constat autē quod salua indifferentia actus otiosus est exercere illū. Secus autē est si actus in seipso indifferens iuratus esset ad cautelā seu vtilitatē spiritualem vel temporalē sui vel alterius: quia tunc tenetur implere iuramentum: vt si quis iurauit non intrare in talem domum, aut non transire per talem viam ad cauendum sibi à tentatione talis mulieris, &c.

Caput vero secundum ex parte euentus, intellige primò si euentus sit malus: vt patet de iuramento Herodis quum iurasset dare puellæ saltanti quicquid petiisset, tolerabile enim erat iuramentum sanè intellectum: sed malus fuit euentus quando puella petiit caput Ioannis Baptistæ. Non enim adstringebatur Herodes ex iureiurando facere tantum scelus: quia euentus male petitionis excludebat vim iuramenti. Et hinc qui iurauit reddere depositum ensē, non tenetur reddere furioso. Et sic de similibus.

Intellige secundo, si euentus sit impeditiuus maioris boni: vt si quis iurauit contrahere matrimoniū & postea inspirante Deo vult in veritate coelibem vitam ducere, non tenetur adimplere iuramentum: quia in euentu isto iuramentum esset vinculum ad impediendum meliorem statum, scilicet continentia, quem constat esse meliorem statu coniugatorum. Et sic de similibus.

Caput tertium ex parte modi, intellige primò quāsum ad cōsuetum modum subintelligendi, vt quum

Et 4

aliqui

aliqui honorare se volentes, iurant, non præcedā per Deum, &c. In his enim & similibus secundum communem & sanū sensum subintelligitur, quantum est ex me: sicut in Petri Apostoli verbo quum dixit. Non lauabis mihi pedes in æternum, & propterea absque peccato periurii faciunt statim oppositum permitiendo se vinci. Intellige secundo quantū ad modum iurandi violentū, in materia tamen matrimonii: quia sicut matrimonium coactum timore cadente in constantem, &c. non valet: ita iuramentum metu extortum de contrahendo, videtur relaxatum ipso iure. Tutius tamen est relaxationem à superiori habere sicut in cæteris iuramentis vi vel metu extortis. Caput quartum ex parte relaxationis clarè patet, nam siue relaxatio fiat ab illo, cui promissio facta est cum iuramento (qui potest liberè quod in sui fauorem factum est relaxare) siue fiat à superiore qui possit relaxare, cessat obligatio iuramenti promissorii.

Iuramentum comminatorium quando periurium inducere dicatur.

Comminatorium denique iuramentum inducit periurium in duobus quoque temporibus. Vel in præsentem. Et hoc dupliciter. Primò si fiat mendaci animo. Et tunc semper est periurium mortale: quia deicit iuramento præsens veritas, siue comminatio sit iusta, siue iniqua. In quacunque namque materia bona vel mala iuramentum cadit super mendacio inexcusabile est à peccato mortali. Secundò, si fiat veraci animo super materia mala hoc est, si quis non comminetur facere opus aliquod quòd est peccatum mortale vel veniale. Et idem est tunc iudicium de comminatorio quod de promissorio: ideo non replico. Vel in futuro: hoc est tempore executionis. Et siquidem comminatio facta est de aliquo malo culpe
siue